



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 61. Angelrannus Abbas S. Richarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

Sæculum XI. nasterium S. Vitoni tria alia rexit. Ri
 A.C. 1022. chardum anno millesimo undecimo Ro-
 mam profectum Benedictus Papa VIII.
 virum esse magno in pretio habendum
 pronunciavit. Tanta veneratione Prin-
 cipes eum prosequerantur, ut etiam Re-
 gnorum dissidia ex ipsius arbitrio compo-
 ni paterentur. Cuidam monacho, vitæ
 suæ insidias fruendi, ignovit, eumque
 postea, cum sincere pœnitentem vide-
 ret, fidissimorum Discipulorum numero
 adscripsit.

§. LXI.

Angelrannus Abbas S. Richarii.

vit. Sæc. 6. A lius Abbas Roberto Regi in paucis ca-
 Ben. p. 436. rus fuit Angelrannus in Monasterio
 S. Richarii. Is natus ex parentibus, si
 Sæculi pompam spectes, non adeo gene-
 rosus, a puero literarum amantissimus,
 maturiore ætate ingressus est claustra
 Centulanæ Abbatiae, quæ a S. Richario
 circa annum septingentesimum vigesi-
 mum quintum condita, a Normannis in
 cineres redacta, nuper ab Ingelrado Ab-
 bate, antea Monacho Corbejensi reparata
 fuerat. Ab hoc Abbate juvenis Angelran-
 nus licentiam accepit studiorum causa
 Carnutum petendi, ubi Fulberto Episco-
 po Magistro usus Grammaticam, Musi-
 cam, & Dialecticam didicit. Inter hæc
 Robertus Rex profectum Romanam
 Reli-

Religionis causa suscepturus, Clericos ^{Sæculum XI.} scientiis instructos conquiri jusserat, qui A.C.1022. peregrinantem comitarentur; cumque ingens eruditionis opinio Angelrannum commendaret, eum Rex inter itineris socios adscivit, & ejusdem Doctrinam moresque maximis laudibus decoravit. Hoc iter anno circiter millesimo vigesimo susceptum. Jamque ex eo tempore Rex Angelranno Dignitatem Ecclesiasticam, si quæ vacasset, conferre animo constituit.

Angelrannus ad suum reversus Monasterium nihil antiquius habuit, quam fratribus suis literarum amorem insinuaré, nec irritò conatu, nam libros comparare, alios describere, & parvulis erudiendis operam dare cœperunt. Ita elapsis aliquot annis, Ingelrado Abbate vita functo, tota Congregatio Angelrannum Successorem exoptabat, paucis adversantibus, quos nobiles natales inflabant. Rex latus, quod occasionem nactus esset Angelrannum Abbatiali Dignitate ornandi, illico ad Monasterium se confert; at ille monitus de Regis adventu mature in silvas fugit. Ubi vero Rex advenit, Angelrannus, a cursoribus diligentissime conquistus, adducitur, cui Rex Ecclesiam ingressus coram illis, qui forte præsentes erant, possessionem Monasterii tradit, jubens eum funes, quibus

Sæculum XI. motæ campanæ pulsabantur, manu con-
A.C. 1022. tingere. Nam Investituræ semper per
 signum aliquod sensibile conferebantur.

Novo Abbati nihil magis curæ fuit,
 quam collapsa Monasterii ædificia resta-
 rare, Ecclesiam exornare, Bona adempta
 vindicare, sua constantia usurpatores ter-
 rere, & rem monasterii domesticam do-
 nationibus amicorum, quos sibi concilia-
 bat, augere. Fulberto Episcopo, Præ-
 ceptore suo, impellente, vitam, miracu-
 la & Translationem S. Richarii in libris
 quatuor, & quædam alia Opera carmine
 scripsit. Tandem Angelrannus usque ad
 annum 1045. superstes fuit, cujus Epi-
 taphium Guido tunc Archidiaconus, &
 postmodum Episcopus Ambianensis com-
 posuit. Is enim, Angelranni olim Disci-
 pulus, inter suæ ætatis Poetas præci-
 pua laude celebrabatur.

